

» *ferre hujusmodi juramentum.* Rationem illius al-
» legit Damhouder in *Praxi rer. civil.* cap. CLXXIX,
» n. 9, ne videlicet reo detur occasio pejerandi
» ut scilicet infamiam evadat; sicuti ob periculum
» perjuri juramentum hoc deferendum non est in
» causa criminali aut famosa, ita nec in causa civili,
» ardua et notabili, quemadmodum post Glossam
» ad L. xxxi, ff. *De Jurejurando* notant Doctores.
» Nemo etiam non videt periculum esse pejerandi
» ubi de re ardua et notabili, perdenda aut lucran-
» da, agitur.»

» Quidquid autem sit de juramento suppletorio
in causis partium colligantium, certum est in
locis quos complectitur concilium Romanum cele-
bratum, anno 1723, sub Benedicto XIII, prohibitum
esse iudicibus, sub pœna nullitatis, et omnium ac-
torum, illud exigere a reo principali criminaliter
examinato, ut ex sequenti decreto, relato cap. II,
tit. XIII ejusdem concilii, ibi :

» Stylum itaque in quibusdam curiis sæcularibus
» et ecclesiasticis, nullo unquam jure præceptum,
» inolevisse perpendimus ut iudices, sive eorum
» notarii aut scribæ, reos criminali facinore accu-
» satos examinaturi, juramentum ab his præstari
» jubeant de veritate dicenda. Quia tamen ex hoc,
» quotidiana sicuti est experientia compertum, nec
» in fisci favorem, nec contra reos ipsos, qui ut
» plurimum patrata a se negant delicta, utilitatis
» aliquid elici non ignoratur, adeo ut, peculiari in
» hac facti contingentia, nedum talia deinceps jura-
» menta exigendi necessitas adesse probetur, imo
» potius ne illa penitus exigantur, sacri ipsa jura-
» menti ratio postulet ac suadeat. Hinc est quod
» nos, rationibus utrinque perpensis, et quampluri-
» mum inherentes insignium tribunalium praxi,
» juramentum ipsum per reos sic criminaliter in-
» quisitos præstandum, consulto, dum uti princi-
» pales tantummodo constituuntur, tollendum et
» submovendum ducimus, prout, sacro etiam ap-
» probante concilio, præsentis hac constitutione om-
» nino tollimus ac submovemus; nec juramentum
» hujusmodi ullatenus ab eisdem, nisi tamen ut
» testes quoad alios examinentur, in futurum per
» quoscumque iudices et ministros, sub quovis
» prætextu, causa et quesito colore, volumus exi-
» gatur; alias examen, sic constitutum, et acta
» omnia nulli sint eo ipso et irrita, omnique ca-
» reant contra reos effectum.»

» Licet in nonnullis locis, quos non complectitur
cit. Concilium Romanum, vigeat adhuc consuetudo
exigendi a reo, criminaliter inquisito, dictum jura-
mentum, expediret quidem illam ubique aboleri
ob validissimas rationes experientia comprobata
in laudati concilii textu allatas; quemadmodum,
die 6 julii 1693, propositum etiam fuit Sacre Cong-
reg. Concilii, in discusso dubio an expediret
illam a summo Pontifice abrogari, rescriptum fuit
ut scriberent pro veritate theologi et canonistæ.
Nulla tamen decisio emanata reperitur ob discor-
des fortasse dictorum theologorum et canonistarum

sententias. Si legas Ludovicum de Ameno, *Practica
crimin.* part I, tit. XIX, § IV, verbo *Reus*, n. 16,
iisdem rationibus, quibus innixum est concilium
Romanum, dictam consuetudinem abolendam os-
tendit, pari modo quo laudatus Van Espen et doc-
tores ab eo citati. Si vero legas Ursayam, *Instit.
crimin.*, lib. III, tit. II de crimine perjuri, a n.
16 ad 27, mordicus contrarium sustinet, innixus
potissimum supra relate Honorii decretali, *Ex lit-
teris vestris*; qui tamen scripsit annos quatuorde-
cim ante dictum concilium Romanum: non enim
forsan ita sensisset, si scripsisset post, cum fuerit
unus ex decretalistis ejusdem concilii.»

Cf. auctorem nostrum, lib. II. *Decret. Tit. XVIII
De confessis*, § VII, n. 164; tom. II, hujusce edit.
pag. 497.

ADNOTATIO XVII.

*Lib. II. Decretalium. Tit. XXVI. De præscriptioni-
bus. § II, n. 34, pag. 250.*

AN PRÆLATI INFERIORES PRÆSCRIBERE POSSINT JURA
EPISCOPALIA?

» Per decretalem *Cum olim*, hoc titulo, Inno-
centius III declarat abbatem regularem in Ecclesiis
sæcularibus intra diœcesim situs præscribere posse
jura episcopalia, et inter cætera: I. Ordinationem
clericorum; II, Pœnitentiam, id est, jus absolvendi
etiam a casibus episcopo reservatis, prout ex sensu
contrario ex hac decretali inferri potest, si abbas
id præscripsisset.

» Verum quoad ordinationem clericorum abro-
gata est a concilio Tridentino sess. XXIII, cap. x,
de Reform... Quoad pœnitentiam vero, id est, abso-
lutionem a casibus episcopo reservatis, proceden-
dum est cum distinctione, ut optime hic Fagnanus
a n. 22 ad 24. Aut abbas, aut alius inferior præ-
latus ex privilegio apostolico, vel legitima præscri-
ptione, habet omnimodam jurisdictionem quasi
episcopalem in certa parte diœcesis, excluso episco-
po, ita ut sit vere in statu *nullius diœcesis*: tum cer-
tum est absque præscriptione posse sibi casus re-
servare et absolvere, quin ei obstet decretum Tri-
dentinum, s. ss. XIV, cap. vii. *De casibus reservatis*,
quia hoc loquitur de casibus quos sibi reservat
episcopus. Aut ex privilegio vel præscriptione non
est in statu *nullius*, sed est simpliciter exemptus,
et tum non valet præscriptio absolvendi a graviori-
bus casibus episcopo reservatis, a quo dumtaxat
pœnitentes absolvi possunt juxta cit. Tridentinum
decretum, cum quoad hoc semper dictus abbas sit
exemptus remaneat subjectus episcopo diœcesano...

» In decretali *Veniens*, hoc titulo, statuitur præ-
scribi posse a prælato inferiore, ut dimittendi suos
subditos ad quemcumque velent catholicum an-
fistitem pro ordinibus recipendis; cui hodie dero-
gatum est, quoad non habetis privilegium apos-
tolicum nominatum, directè ac expresse ipsis con-
cessum, conformiter ad constitutionem Benedicti

ADNOTATIO XVIII.

Lib. II. Tit. XXVI. § III, n. 62, pag. 233.

DE BONA FIDE AD PRÆSCRIBENDUM REQUISITA.

» Ex iuribus hoc titulo insertis colligitur:

» I. Bonam fidem requiritur tam in initio quam in
decursu præscriptionis, ita ut mala fides superven-
iens interrumpat præscriptionem in foro tam ca-
nonico quam civili, cum in materia peccatum res-
piciente jus canonicum sequi debeamus.

» II. Per hos textus derogatum esse juri civili
disponenti quod in præscriptione longi temporis,
decem scilicet annorum inter præsentis, et viginti
inter absentes, bona fides solum requiratur ab ini-
tium, uti habetur in § *Diutina* XII, *Instit. De usucap.*
et in L. unica *Cod. De usucap. transferendis*, et
quod in præscriptione longissimi temporis, triginta
scilicet vel quadraginta annorum, nulla requiri-
tur bona fides, neque ab initio, neque in decursu,
L. *Sicut*, l. *Omnes*, et L. *Cum novissimi*, *Cod. De
præscript. 30 vel 40 annorum.*

III. Minime attendendum esse cap. 15 *Placuit*,
caus. XVI, quæst. 3. §. *Præscriptionem*, ubi dicitur:
» Bona fides non ad tractum medii temporis,
» sed ad initium possessionis refertur. » Verba
enim hujus textus non sunt concilii Africani, cui
tribuitur, sed Gratiani qui juxta leges civiles locu-
tus est; cum autem fuerit auctor privatus, in hac
materia a Pontificibus definita, non est audiendus.
(Giraldus, *Expos. jur. Pontif.*, part. I, sect. 280.) »

ADNOTATIO XIX.

*Lib. II. Decretalium. Tit. XXVII. De sententia et re
judicata. § II, n. 69, pag. 275.*

DE JUDICE CONTRA JUSTITIAM AGENTE.

» In Decretali *Cum æterni*, hoc titulo in 6. sta-
tuitur ut, si iudex ecclesiasticus tam ordinarius
quam delegatus, contra conscientiam et contra jus-
titiam in gravamen partis alterius, in judicio quid-
quam fecerit per gratiam vel sordes, ab executione
officii per annum suspensus sit, et ad æstima-
tionem litis parti quam læserit condemnandus.
Quod si suspensione durante, damnabiliter inge-
serit se divinis, irregularitatis laqueo se involvet, a
quo non nisi per summum Pontificem poterit liberari,
salvis aliis constitutionibus quæ judicantibus
pœnas infligunt.

» Huc spectant ex contrario sensu propositiones
proscriptæ ab Alexandro VII, sub die 24 sept. 1663
et ab Innocentio XI, sub die 2 martii 1679. Pro-
scripta ab Alexandro VII, quæ est XXVI in ordine
» Quando litigantes habent pro se opiniones æque
» probabiles, potest iudex pecuniam accipere re-
» ferenda sententia in favorem unius præ alic
Proscripta ab Innocentio XI, quæ est propositio I
in ordine: » Probabiliter existimo iudicem posse
» dicare juxta opinionem etiam minus probabilem. »

XIV, *Impositi nobis*, 27 febr. 1747, cui nunc stan-
dum est, in qua præsigitur statuaturque modus
servandus, etiam in casu quo episcopus proprius
vel abest, vel non habet ordinationem, ad hoc ut
tam ordinatus quam ordinatus evitet censuras.

» In decretali, *Cum inter*, hoc titulo, Pontifex
admittit abbati... initiare posse prima tonsura,
nedum monachos sibi subditos sed etiam sæculares,
in quos habet ordinationem e' quasi episcopalem jurisdictionem... Prout respicit monachos sibi sub-
ditos, adhuc vigeat hæc decretalis... ac definitum
fuit ab ipsomet Tridentino concilio, teste S. Carolo
in concil. Mediolan. V, part III, de sacram. ordinis;
atque pluries etiam declaravit Congregatio Concilii
signanter die 12 febr. 1724, in *Vratislaviensi*; *Re-
solut. ejusd. Congreg.* pag. 19. An vero vigeat,
prout respicit subditos sæculares communior sen-
tentia est cum Fagnano in cap. *Quanto*, *De consue-
tud.* n. 24, et latius in cap. *Statuimus*, *De supplenda
neglig. prælatorum*; Petra in commentar. ad consti-
tit. IX Pii II, n. 38 et seqq. Ferrosinus in cap.
Cum contingat, *De ætate et qualit. præficiend.*
quæst. II, n. 19 et seqq. qui sentiunt adhuc vigere
quoad aliquid, solamque ipsius executionem fuisse
a Concilio suspensam quodammodo per ablationem
jurisdictionis in ipsos subditos, adeo ut, si eos ordi-
net, illicita quidem sed valida sit eorum ordina-
tio, ut ex pluribus Congregat. Concilii declaratio-
nibus evidenter ostendunt. Ratio ipsorum est quia
abbati presbytero, etiam solemniter benedicto,
Concilium Tridentinum sustulit quidem totaliter
hoc jus, quando nullos habet subditos regulares
non vero quando hos habet. In hoc namque casu
Concilium in ipso reliquit potestatem ut, ordinando
suos subditos regulares, imprimat in eis caracte-
rem simulque eis conferat liberam executionem
seu exercitium ordini suscepti; contra, alios ordi-
nando, imprimat quidem in eis characterem ratione
potestatis, sed non conferat ordinis executionem, ob
ademptam jurisdictionem in sibi non subditos regu-
lares, ut ex declarationibus Congregat. ejusdem
Concilii, quas afferunt per extensum. Et sic ordi-
natio subditi sæcularis ab abbate facta in casu, ita
se habet ut ordinatio non subditi, scienter et pro-
hibita facta ab episcopo, quæ valida est sed illicita.
Vide Fagnanum ac Petram loc. cit. ubi sic concor-
dant varia prædictæ Congreg. decreta, quæ inter
se videntur contraria. (Giraldus, *Expos. jur. Pon-
tif.*, part. I, sect. 285, 286 et 290.)

Decretum autem Concilii Tridentini, sess. XXIII,
de Reform. cap. x, sic se habet: » Abbatibus, et
aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non
liceat in posterum, intra fines alicujus diœcesis
consistentibus, etiam si nullius diœcesis, vel
exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis sub-
ditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines
conferre. » Vide uberrimas explanationes apud
Benedict. XIV. *De Syn. Diœc.* lib. II, cap. XI.

« Nota I. ex Thesauro, *De poenis ecclesiast.*, cap. v, verbo *Munera*, quod suspensio in præd. decretali inflicta, cum lata sit ad tempus, de natura sua est Papæ reservata, estque tam ab officio iudicis quam ab ordine, non tamen a beneficio.

» Nota II. Cum eodem Thesauro, dicto verb. *Munera*. cap. iv, quod si iudex munera seu pretium a partibus acceptat pro justitia administranda, sententia est ipso jure nulla, licet alias justa; si vero lata sit ob gratiam, est annullanda, si itidem alias justa sit.

Nota III. Ex laudato Thesauro, loco cit. illum teneri in foro conscientie ante declaratoriam restituere danti pretium acceptum pro sententia justa; pro injusta autem, secundum probabiliorum, post condemnationem, qua etiam non secuta, obnoxium semper esse oneri satisfaciendi parti læsæ.

» Circa dantes et recipientes munera pro obtinenda gratia vel justitia in curia Romana videnda est constitutio Alexandri VII, *Inter gravissimas*, 2 ma i 1636. (Giraldus, *Expos. jur. pontif.*, part. I, sect. 291.) »

Legimus supra *per gratiam vel sordes*. « Dicitur fieri *per sordes*, inquit Glossa, si prece, pretio, timore vel odio iudex corruptus sit. »

ADNOTATIO XX.

Lib. II. Decretalium, Tit. XXVIII. De appellationibus, recusationibus et relationibus. § III, n. 67. pag. 314.

DE APPELLATIONE AB INFERIORE AD SUPERIOREM OMISSO MEDIO.

« Sunt varii casus in quibus appellari potest, omisso medio, inter quos :

» I. Cum appellatur ad Romanum Pontificem, ob plenitudinem potestatis, cum illius iudicatio sit concurrens cum iudicatio omnium ordinariarum, can. *Si quis*, caus. II, quæst. 6; cap. 7, *Si duobus*; cap. 31, *De priore*, et cap. 34, *Ad authenticam*, hoc eod. titulo; nedum si agatur de quolibet iudice ecclesiastico sed etiam laico, in terris tamen Papæ subjectis, cit. cap. 7.

» II. Cum appellatur ad legatum Papæ in illius legationis districtu, cap. 1, *Cum non ignoratis, De officio legati*.

» Nota etiam in ordinibus regularibus appellationem faciendam esse gradatim; sic a prælato locali appellandum est ad provinciale, ab hoc ad generalem, tum ad protectorem, deinde ad S. Congregationem episcoporum et regularium, tandem ad Sedem apostolicam. Cf. decretum ejusd. Congregationis datum anno 1587 insertum in constitutione Benedicti XIV, *Sacrosancti apostolatus*, 11 aug. 1748. Sed hodie, quoad appellationem ad protectorem, derogatum est ab Innocentio XII qui, constit. *Christi fidelium*, 16 feb. 1694, § *Insuper*, illi ademit facultatem cognoscendi causas particularium religiosorum. Hæc Innocentiana constitutio confirmata

est a Benedicto XIV, const. *Quantum*, 15 febr. 1741. » (Giraldus, *Exposit. jur. Pontif.*, part. I, sect. 304.)

ADNOTATIO XXI.

Lib. II. Tit. XXVIII, § XI, n. 301. pag. 333.

DE CASIBUS IN QUIBUS APPELLATIO NON ADMITTITUR.

« Quamvis decretalis *Ad nostram*, hoc titulo, loquatur de regularibus, extenditur tamen a doctoribus relatis hic a Fagnano ad quoscumque subditos. In ea igitur statuitur religiosos sicut et quoscumque alios subditos, juxta dictam extensionem, non habere jus appellandi a correctione excessuum quos committunt contra suarum regularum observantiam, et respective contra bonos mores, si correctio earumdem regularum mandatum non excedat.

» Huic sanctioni concordat cap. 26, *Reprehensibilis*, hoc eod. titulo, in quo etiam appellatio denegatur. Item cap. *Irrefragabili, De officio iudicis ordinarii*, loquens de correctione excessuum quorumcumque subditorum : in qua materia, correctionem nimirum et morum reformationem tangente, tam allata capitula, quam sacri alii canones non admittunt appellationem, nisi in devolutivo. Quas quidem sanctiones innovavit Tridentinum, cap. 1, sess. XXII, et cap. x, sess. XXIV, *de Reform.*

» Huc spectat summa constitutionis Benedicti XIV, *Ad militantis*, 30 martii 1742, in qua referuntur sequentes causæ, in quibus appellatio cum inhibitione in suspensivo concedi prohibetur, non obstante quacumque contraria consuetudine etiam immemorabili aut privilegio, sub pœna nullitatis actorum, etiam quoad citationes expediri solitas coram signaturæ præfecto ad effectum comparandi aut adeundi eandem signaturam, etc.

» I. A decretis, quorum executio a Tridentino demandata est locorum ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatis, appellatione vel inhibitione quacumque postposita.

» II. Ab eorum decretis, tam in visitatione quam extra, circa cultum divinum conservandum, vel augendum, et præcipue circa missæ celebrationem.

» III. A decretis cogentibus clericos, tam sæculares quam regulares, etiam monachos et exemptos, ad processiones publicas; servata tamen forma constitutionis S. Pii V, *Etsi mendicantium*; et circa præcedentias in eisdem inter dictos clericos, vel associatione cadaverum, delatione umbellæ, etc., ac super observantia censurarum etiam episcopali, et festorum diœcesum.

» IV. A decretis circa curam animarum et sacramentorum administrationem, aliaque parochialia munera, etiam quoad exemptos tam sæculares quam regulares.

» V. A deputatione vicariorum etiam perpetuorum, cum assignatione congruæ, in parochialibus

perpetuo unitis quibuscumque ecclesiis aut locis pitis.

» VI. A visitatione dictarum ecclesiarum parochialium et aliarum quarumcumque, quomodolibet exemptarum, et a decretis circa earumdem reparationem et curam animarum.

» VII. A decretis quibus episcopi, etiam uti Sedis apostolicæ delegati, cogunt rectores ecclesiarum parochialium aut baptismalium, ob populi numerositatem, sibi tot sacerdotes adjungere quot sufficiant ad sacramentorum administrationem, aut quibus, ob grave populi incommodum ad hæc percipienda, ipsis etiam invitatis, novas parochias constituunt cum assignatione competentis portionis; vel quibus tandem ob paupertatem, et in cæteris casibus a jure permissis, perpetuo alia simplicia beneficia uniunt.

» VIII. A deputatione coadjutorum aut vicariorum parochialium ecclesiarum ob earum rectorum illiteraturam vel suspensionem, aut etiam privationem, quando turpiter et scandalose vivunt, si mox incorigibiles perseverant.

» IX. A translatione beneficiorum simplicium etiam jurispatronatus ex Ecclesiis collapsis, quæ ob inopiam reparari nequeunt, in matrices aut alias Ecclesias cum omnibus emolumentis et oneribus, vocatis iis quorum interest : et a decretis cogentibus patronos, rectores, beneficiatos aut parochianos ad restaurationem ecclesiarum parochialium, servata forma Trident. sess. XXI, cap. vii.

» X. A censuris, sequestratione et subtractione fructuum contra curam animarum habentes non residentes.

» XI. A denegatione, revocatione, suspensione vel restrictione facultatis audiendi sæcularium confessiones contra sacerdotes non parochos etiam regulares.

» XII. A divisione seu distinctione parochiarum, earumque institutione in titulum juxta Trident., sess. XXIV, *de Reform.*, cap. xiii, ubi parochiæ vel certos non habent fines, qua de causa earum rectores promiscue petentibus sacramenta administrant, vel nullæ sint.

» XIII. A deputatione æconomi, tempore parochialis Ecclesiæ vacantis, sicut et ab indictione concursus, relatione examinatorum et prælectione et provisione episcopi in eodem concursu.

» XIV. A decretis contra habentes publicas lectiones, necnon prædicationem verbi Dei sine licentia episcopi, etiam a regularibus in alienis Ecclesiis, et in suis non petita ejus benedictione, juxta constit. Clementis X, *Superna*.

» XV. A decretis circa clausuram monialium ac punitionem delinquentium in eam et personas intra eam degentes. Item circa examen pro approbatione vel reprobatione confessariorum earumdem, tam ordinariarum quam extraordinariarum, et tam sæcularium quam regularium quomodolibet exemptorum, etiam pro monialibus subjectis iisdem regularibus; sicuti et contra earumdem

ministros, tam pro mala administratione quam pro reddenda singulis annis bonorum ratione, ac demum circa quorumcumque illarum officialium amotionem, servata forma quoad regulares et exemptos constitutionis Gregorii XV, *Inscrutabili*.

» XVI. A pastoralis visitatione diœcesis et præsertim monasteriorum commendatarum, abbatiarum, prioratuum et præpositurarum, in quibus non viget regularis observantia; necnon beneficiorum tam curatorum quam non curatorum, sæcularium et regularium, qualitercumque commendatarum, etiam exemptorum; prout etiam ab executione eorum quæ in ipsa visitatione mandata, decreta aut judicata fuerint; necnon similiter a quibuscumque decretis et provisionibus, etiam extra visitationem, pro conservatione vel reparatione ecclesiasticæ disciplinae, quoad vitam, mores et honestatem quorumcumque clericorum, luxum, commessationes, choreas, lusus, crimina, et sæcularia negotia fugienda atque evitanda, juxta plura decreta dicti sacri Concilii et præsertim sess. VI *de Reform.* cap. iv, sess. XIII, cap. 1; sess. XIV, cap. iv; sess. XXI, cap. viii; sess. XXII, cap. 1 et cap. viii; et sess. XXIV, cap. x; ad formam tamen decretorum sacri Congregationis episcoporum, de mandato san. mem. Clementis VII, editorum anno 1600.

» XVII. A decretis cogentibus præsentatos, electos vel nominatos a quibusvis ecclesiasticis personis, etiam Sedis apostolicæ nuntiis, ad se subjiciendum examini ordinariarum, antequam instituantur et confirmentur.

» XVIII. A denegatione promotionis ad sacros ordines et a suspensione susceptorum ob crimen occultum sive ex informata conscientia.

» XIX. A præfixione termini pro punitione regularis episcopo non subjecti, degentis intra claustra vel extra, notorie, scandalose delinquentis, facienda a suo superiore, et pro notitia punitionis hujusmodi episcopo danda.

» XX. A censuris, aliisque provisionibus contra concubinos, et etiam contra detinentes mulieres suspectas domi aut extra.

» XXI. A privatione privilegii fori et decretis contra clericos non incedentes in habitu et tonsura, et in aliis casibus a Trident. præscriptis sess. XIV, cap. vi et xxiii *de Reform.*

» XXII. Ab approbatione et reprobatione patrimonii, pensionis aut beneficii, quoad promovendos ad sacros ordines.

» XXIII. A convocatione capituli facta ab episcopo pro deliberando aliquo negotio cum voto capitularium, ad ipsius tamen vel suorum commodum non spectante.

» XXIV. A decretis circa conversionem tertiæ partis quorumcumque proventuum et obventionum, tam dignitatum quam canonicatum et personatum, portionum et officiorum in distributiones quotidianas, earumque divisionem inter dignitates obtinentes et alios divinis interessentes in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis, in quibus nullæ sunt

hujusmodi quotidianæ distributiones, vel sunt ita tenues ut verisimiliter negligantur, juxta Trident. cap. III, sess. XXI et sess. XXII cap. III *de Reform.*

» XXV. Ab executione piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos, dicta sess. XXII, cap. VIII.

» XXVI. A visitatione hospitalium et quorumcumque piorum locorum etiam exemptorum et a laicis administratorum, collegiorum, confraternitatum, elemosynarum, montium pietatis, et a cognitione et executione pertinentium ad Dei cultum et pauperum sustentationem, atque a ratione administrationis eorumdem locorum singulis annis episcopo reddenda; nisi aliter in ipsorum institutione et ordinatione expresse cautum fuerit, juxta cit. cap. VIII, sess. XXII et cap. XV, sess. VII, cap. IX, sess. XXII, et cap. VIII sess. XXV.

» XXVII. Ab examine, suspensione vel remotione quorumcumque notariorum, scribentium in causis ecclesiasticis, juxta cap. X, dict. sess. XXII.

» XXVIII. Ab erectione seminarii, et præfixione taxæ imponendæ dignitatibus, personatibus, officiis, præbendis, portionibus, abbatibus et prioratibus cujuscumque ordinis, etiam regularium, hospitalium (quæ dantur in titulum vel administrationem), beneficiis quibuscumque, tam regularium quam jurispatronatus, exemptorum et nullius diocesis, vel annexis aliis Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus aut quibusvis locis piis licet exemptis; ac tandem imponendæ redditibus pertinentibus ad fabricas Ecclesiarum, confraternitates et monasteria omnia (non tamen mendicantium) et decimis quacumque ratione spectantibus ad laicos et milites cujuscumque militie aut ordinis (excepto Hierosolymitano), nec ab unione aliquot beneficiorum simplicium: sicuti neque a decretis contra scholasterias obtinentes, quibus lectionis vel doctrinæ munus ad docendum, aut per se aut per alios, est annexum. Nec denique a quibuscumque provisionibus curam, directionem et administrationem seminarii respicientibus, juxta Trident. sess. XXIII *de Reform.* cap. XIII.

» XXIX. A reddenda ratione administrationis gestæ ab œonomo et vicario capitulari, tempore sedis episcopalis vacantis, juxta Trident. sess. XXIV *de Reform.* cap. XVI.

» XXX. A comminatione excommunicationis a jure late et a sententia suspensionis et interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis, et e converso a sententia absolutionis ab iisdem censuris.

» XXXI. Ab executione quorumcumque aliorum decretorum locorum ordinariis a Trident. et constit. Pii IV, *Benedictus Deus*, demandata.

» XXXII. In prædictis omnibus causis permittitur simplex dumtaxat et extrajudicialis recursus ad S. Sedem et, juxta earum naturam, appellatio in solo devolutive ad quos de jure, sine retardatione legitimæ executionis decretorum super eisdem causis, nunquam autem admittenda nisi prius constituto de

legitima ejus interpositione, et in causis a jure permissis.

» XXXIII. Si denegatum fuerit instrumentum sententiæ a qua appellatur, appellans tenetur producere in actis ejus copiam simplicem, et in inhibitione exprimenda est conditio quatenus vero tenor insertus vere et in substantialibus cum originali concordet, eodemque originali præsentem litteræ sint in tempore posteriores, alioquin nullæ et irritæ censeantur sub infra scriptis pœnis respectu notariorum; ut seq. n. XXXV.

» XXXIV. Si appellatum fuerit a gravamine quod per definitivam reparari nequit, si hoc est de carceratione jam secuta cum mandato verbali, non admittitur appellatio nisi prius constituto de carceratione per depositionem duorum saltem testium; et interim appellans remanere debet in carcere donec aliter decisum fuerit. Si vero gravamen est de censuris jam prolatis vel de comminatione carcerationis, torture aut censurarum, observanda est dispositio decretorum Congr. Episcoporum sub Clemente VIII, juxta declarationes Benedicti XIII in append. ad conc. Roman. ad 12 et 13 decretor. Clementis VIII.

» XXXV. Ab hac generali regula denegandæ appellationis Pontifex excipit particulares casus in quibus per Trident. constitutiones apostolicas aut communem doctorum sententiam in suspensio admitti potest, serio tamen expendendis a iudice superiori an sint de exceptis; et tunc aliter non concedenda nisi adjecta hac clausula: Nos enim, attentis juribus et supplici libello nobis præsentatis atque in actis exhibitis, sicut præfertur, inhibendum esse speciali rescripto... sub pœna nullitatis, notariis vero infamie et perpetuæ inhabilitatis, ad officium notarii in causis ecclesiasticis exercendum ipso facto incurrendæ, si præsumperint citationes expedire sine tali speciali rescripto, ejus productione et insertione prædictæ clausulæ in actis; et insuper quoad notarios Urbis quinquaginta ducatorum auri de camerâ, huic pro una medietate, et pro parte recurrenti, sin minus locis piis, arbitrio Pontificis applicandorum.

» XXXVI. Item excipiuntur monitoria in causis privilegiatis coram auditore cameræ apostolicæ, ejusque locum tenentibus, etiam in prima instantia tractandis, juxta præscriptum constit. Pauli V, *Universi* et citatas declarationes Benedicti XIII. Quæ si expediuntur ultra montes, offerri prius debet supplex libellus universam facti speciem clare continens, et prævio ejusdem auditoris cameræ rescripto de ipsis expediendis, sub pœnis ut supra in notariis aliter expedientes.

» XXXVII. Denique in cit. const. *Ad militantis*, § 42, statuuntur ut causas omnes tam civiles quam criminales ad forum ecclesiasticum pertinentes, exceptis privilegiatis et aliis de jure excipiendis, in prima instantia coram locorum ordinariis cognoscantur, nec a quoquam avocari possint, nisi per viam legitimæ appellationis.

ADNOTATIO XXIII:

Lib. II, Tit. XXVIII, § XII, n. 331, pag. 333.

DE RELATIONIBUS JUDICUM.

Cap. 68, *Intimasti*, hoc titulo, sic se habet: « Intimasti et infra. Præterea hospitaliaris ignorantibus, et non facta eis copia de inquisitionis processu, ad nos relationem transmisisse noscuntur (*subintellige* inquisitores); cum, juxta legitimas sanctiones, quoties relaturum se iudex quilibet pollicetur, illico litigatoribus apud acta consultationis exemplum edere teneatur. »

« Antequam, scribit Giraldus, ad hujus decretalis explanationem deveniatur, notandum est S. Raymundum, in hac Gregoriana collectione, ad instar Trebonii in Digestis aliquid intermiscendum putasse de relationibus, seu iudicum ad supremum principem consultationibus, quibus stantibus solebat appellatio anteverti, si ante sententiam dixisset iudex eundem principem esse consulendum quid facto opus esset, vel eludi si post sententiam, ut in L. penult. ff. *De Appellat. recipiend.* Cod. Theodos. *De Relationibus*.

» Harum quidem relationum usum in causis dubiis apud veteres frequentem, ut vitium brevitatibus inimicum sustulit, Justinianus Novell. CXXV. Jure tamen pontificio retentum fuisse constat tum ex hac decretali, tum ex cap. 5, *Licet*, *De officio legati*; can. 12, caus. 11, quæst. 1; can. 29, *Bidduum*, in fine, ead. causa, quæst. 6; can. 48, *Siquid*, ead. causa, quæst. 7; can. 3, *Denique*, causa VI, quæst. 3, et can. 1. *De libellis*, §. *Nam si tale*; dist. XX; cum ea tamen conditione ut antequam iudex mittat ad principem, consultationis exemplum et suæ opinionis apud acta litigantibus edat, et eorum refutationes seu refutatorias preces jungat, si quid forte alterutri imperfectum videatur; atque ita plenam atque integram totius controversiæ instructionem relatio contineat, ne tantillum ambigere quid sit a se rescribendum idem princeps possit, prout præscribatur L. *Ne causas* 15, L. *Jubemus* 34, eod. hoc titulo. L. ult. ff. *Quando appellandum sit*; L. *Inter pœnas* 6, ff. *De interdictis et relegatis*; L. 2, eod. *De officio vicarii*, et totum titulum *De relationibus*.

» Species itaque hujus decretalis hæc est. Cum transmissa fuisset ad Gregorium relatio de causa contra quosdam hospitalarios, nullatenus facta copia de inquisitionis processu, declarat non recte iudicem processisse cum, secundum allatas leges, quoties idem iudex dicit se velle referre negotium ad superiorem, statim teneatur dare litigantibus exemplum.

» Verum hodie relationes istæ fere exoleverunt et in locum illarum subintravit recursus ad jurisconsultos et academias, et donec ab his respondeatur, iudex non solet in causa procedere. Ita Vallen. et Remig. Maschat, *Instit. canon.* hoc eodem titulo, n. 29. (*Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 303.) »

» Hucusque summa Benedictinæ constitutionis.

» In causa tamen correctionis regularis vel disciplinæ ecclesiasticæ procedendum est cum his distinctionibus, an prælatus in correctione procedat ut iudex judicialiter, vel ut pater paterne. In primo casu a correctione per sententiam decreta appellari poterit, Trident. sess. XIII, cap. 1 *de Reform.* Fagnan. in cap. *Ad nostram*, *De appellat.* n. 6. In secundo casu interest an superior in correctione maneat intra limites a sacris canonibus, regula, vel constitutionibus, pro pœnis correctionis gratia præscriptis; an vero istas excedat. In primo casu non datur appellatio, cap. 3 et 26 *de Appell.*, quia ab hujusmodi correctione appellans redarguere iniquitatis censetur sacram regulam, vel sacros canones, non prælatus aut superiorem qui non procedit ut iudex, sed ut regulæ et canonum executor. In secundo casu, si excessus sit notabilis gravato conceditur appellatio, quia tum superior abutitur sua potestate, cap. 3, *de Appellat.* in 6. Debet tamen eo casu exprimi causa appellationis, scilicet quod superior corrigendo modum excesserit, ut iudici appellationis de justitia illius constet et appareat appellatum esse in casu permissio, ut optime advertit Pirhing, tit. *de Appellat.* n. 45. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 292 et sect. 303.) »

ADNOTATIO XXII.

Lib. II, Tit. XXVIII, § XII, n. 324, pag. 337.

DE JUDICIS RECUSATIONE.

» Ex const. Benedicti XIV, *Romanæ curiæ*, 21 dec. 1744, qua confirmantur decreta, alias edita, 10 jan. 1742, de iudicum recusationibus pro ditione ecclesiastica, hi recusari non possunt tamquam suspecti: I. In causis executivis depositi et futurorum alimentorum. II. In causis designatis per decreta edita a Congregatione reformationis tribunalium Urbis, 17 april. 1731, videlicet pro schedulis vulgo *pagherò per altrettanti*, litteris cambii jam acceptatis, mercede, pensionibus domorum et solutione canonum; III. In causis non excedentibus valorem scutorum viginti quinque.

» In aliis vero quibuscumque causis, tam executivis quam ordinariis et in quacumque instantia (exceptis dumtaxat causis commissariis) unica permittitur recusatio iudicis absque allegatione causæ suspicionis intra tres dies numerandos a die reproductionis monitorii, vel citationis ad dicendum contra jura. In reliquis recusationibus servandum est jus commune, citationesque quoad ultiores recusationes impune sperni possunt, nisi in ipsis certa et justa causa exprimat. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 303.) »